



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus XX. De præparatione altaris & Ornamentoru[m] ejus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

*tantum amicti ministrant, Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente, dies in quibus in nostris Ecclesiis non est Dalmaticarum usus, vide in Rubricis hoc Titulo n. 6. determinatos.*

## TITULUS XX.

### *De preparatione Altaris et Ornamentorum ejus.*

**A**ltare in quo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum ab Episcopo consecratum: vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam & majorem partem Calicis capiat. Celebraturus igitur in portatili advertat, ut sacram Hostiam collocet super ipsam aram insertam, & non super illius circumferentiam.

*Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat.* Ne his ultimis verbis: *Ad ipsius altaris ornatum, Sacristæ abutantur, multiplicatione videlicet scamnorum aliorumque accidentalium ornamentorum, mensam altaris ita arctando, ut Sacerdos nec Corporale explicare, nec Missale sub Evangelio & Canone debite collocare possit: ordinat Capitulum Provinciale, ut altaris mensa tota appareat denudata.* Unum vel ad summum duo sint scamna, in illis ponantur candelabra, vasa Reliquiarum, flores, &c. hoc semper salvo, ne scamnis altaris mensa nimium arctetur, tanta enim illius manere debet capacitas, ut Missale apertum collocari possit versus cornu Evangelii. Præterea ratione hujus Rubricæ, *Super altare nihil omnino ponatur.* Ante Missam auferendæ sunt mappæ, quæ ut tegumenta contra sordes altaribus imponuntur, nec sufficit, quod involvantur: imò secundum GAVANTUM, nequidem sudariolum ad emungendas nares ponendum super altare, sed potius à cingulo pendens ad dextram portandum, multo minus relinquendæ sunt dictæ mappæ.

*Super*



*Super altare collocetur Crux* : probabilius cum imagine Crucifixi. Dum expositum est venerabile Sacramentum non requiritur *in medio*. Abusus ergo est , si in medio collocetur statua alicujus Sancti & crux à latere vel in medio ; quasi ad pedes illius statuae : Monet hoc Titulo GAVANT. cavendum esse ne unquam supra locum Sacramenti , praesertim si publicè exponatur , collocentur vasa sacrarum Reliquiarum, magis igitur cavendum videtur, ne supra locum Sacramenti collocentur statuae Sanctorum. Ad praecavendos igitur hos abusus, & insuper quia ad altaria parva locus nimis angustus est , ita ut caeremonia ibidem vix rite exerceri valeant, aliasque ob causas ordinatur ut Sacrum Conventuale semper celebretur ad altare majus. Antependia altaris non sunt cingenda lignea coronide.

